

prior. Sublato igitur minori tempore à maiori, residuum ostēdit longitudinem 2. locorum, si conuertantur horæ horarum-que minuta in gradus & uni horæ attribuantur 15. grad. quatuor vero minutis gradus, una hora.

DISTANTIAM DVORVM LOCORVM
 quorum longitudo & latitudo nota est, perquirere. Propos. XXVII.

Dentur primo duæ Ciuitates, sub eodem meridiani circulo sitæ, id est, quæ habeant eandem longitudinem, sed latitudinem diuersam, & utraque vel in Boream vel in Austrum declinet: tunc latitudo minor, subtrahatur à maiori, & differentia latitudinum conuertatur in miliaria, ita ut cuilibet gradui, dentur miliaria germanica, communia 20, Italica 60, habebitur distantia duarum ciuitatum. Vt exempli gratia, Vienna Austriæ, & Cephaladium Siciliæ, eandem ferè habent longitudinem, differentia latitudinum, sunt 50. grad. 50. minut. quæ conuersa in miliaria germanica, faciunt 216. cum dimidio ferè; in Italica, 650. ferè, sed intelligi hoc debet, de distantia quæ sit, secundum lineam rectam, montes enim, valles & viarum anfractus augens distantiam.

Dentur secundo, duæ Ciuitates, eandem habentes longitudinem, sed latitudo unius; sit borealis, alterius vero Australis; tunc latitudo unius, coniungi debet tum latitudine alterius, & aggregatum conuerti in miliaria, ut verbi gratia. Constantinopolis, & Caput bonæ spei, eiusdem ferè sunt longitudinis, sed Constantinopolis declinat in septentrionem grad. 43. Caput bonæ spei in Austrum, grad. 35. qui simul iuncti efficiunt gradus 78. ex quibus fiunt miliaria Italica 4680. germanica 1625.

Dentur tertio duæ Ciuitates, quæ non sint positæ sub eodem